

Germani, in quorum numero precipui fuerunt  
Ulricus Huttenus, eruditione quoque clarissimus,  
Franciscus Siccingus, & nobilis Francus Sylve-  
ster Schaumbergius, scripto ei significassent, se vi-  
tam & bona sua in defensionem doctrinae, quam  
ipse assereret, impensuros esse, & plures, quam  
centum nobiles, viros strenuos, se non nosse tan-  
tum, verum etiam habere, qui eiusdem sint animi  
aduersus omnes, qui Luthero vim inferre conen-  
tur. Mox Pontifex mittit ad Electorem Saxo-  
niae in Comitibus, quae Colonia post Caroli coronati-  
onem celebrabantur, Marinum Caracciolum, &  
Hieronymum Aleandrum eruditum Iudaeum, in  
Italia natum, precipiens libros Lutheri comburi  
omnes, & Lutherum vinculis capi, atque Romam  
quam primum mitti. Bulla quoque Pontificia iam  
publicata, & artibus Ecclesiae composita & sparsa  
circumferebatur, qua damnabatur Lutherus, ut  
diaboli & inferni filius, & archihaereticus. Ele-  
ctor vero pietate & sapientia illustrissimus, se nec  
posse nec velle Lutherum non convictum, & nihil  
aliud, nisi sacrae scripturae testimonijs se erudiri  
petentem, ista violentia adoriri, & innocentem  
morti tradere. Hac igitur cum non succederet  
legatis Pontificijs, alia aggredienda erat via.  
Confluunt ad ipsum Imperatorem, & idem repe-  
tunt. Imperator, se prius inquit, quam respon-  
deat, auditurum esse sententiam & consilium di-  
lecti Patris sui Friderici ducis Saxoniae. Sic enim  
optimus